

postulat p. Ruiz, de scientia Dei disp. LXXI, sect. VIII. Quare non ita horribilia visa sunt ista decreta etiam peritioribus ex contrariis, ut illa omnino fugere debeamus sed magis attendere et rationibus librare.

XIV. Igitur dari hæc decreta probatur primo, nam in Scriptura sæpius illa significantur, ut patet ex illo Matth. XVI Christi ad Petrum: *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Ubi non dixit Christus quod Pater decerneret, aut exhiberet si rogasset illum, sed quod modo exhibebit si eum rogavero, ergo certa et firma erat voluntas Patris de mittendis, et exhibendis illis legionibus Angelorum si Christus illa peteret, et tamen nec de facto mittendæ erant, nec Christus petiturus. Antecedens constat, quia Christus dixit quod exhibebit modo si ego rogavero, ergo exhibitio illa pro illo tunc non solum erat prævisa, sed etiam volita, nam si nondum erat volita a Deo, ergo adhuc erat indifferens, et suspensa ex parte Dei exhibitori etiam posita conditione rogandi, ergo et incerta, et non firma. Quomodo ergo sic affirmata a Christo? Nec potest dici quod Deus penetrans suam voluntatem videbat si Christus peteret se illam exhibitionem voliturum, et hoc revelavit Christo, non tamen de facto jam illam volebat etiam pro illa conditione. Contra enim est, quia non solum Deus prævidebat quid facturus et voliturus erat posita illa conditione, sed etiam de facto approbabat, et rata habebat illa verba Christi quando illa proferebat, ergo de facto volebat veritatem illius dicti, ergo et futuritionem illius exhibitionis sub conditione, quia veritas illius dicti non erat aliud quam ipsa futuritio exhibitionis, dicente Christo: *Exhibebit*

*mihi modo*, et tamen absolute loquendo posset oppositum stare cum illa conditione, quia posset Deus decernere quod etiamsi Christus peteret non concederet illi legiones, ergo cum veritas illa contingens de facto esset determinata, et approbata a Deo, de facto debebat esse volita pro illo statu conditionato, aliter enim non posset esse veritas determinata jam de facto. Idem argumentum potest deduci ex illo IV Reg. XII, ubi Elisæus dixit regi Joas quod percuteret jaculo terram, et cum percussisset tribus vicibus tantum, iratus est vir Dei contra eum, et ait: *Si percussisses quinque, aut sexies, sive septies percussisses Syriam usque ad consummationem*. Non potuit autem percussio illa Joas habere connexionem aliquam ex se cum devastatione Syriæ, nisi ex sola voluntate Dei, qua voluit ut petita illa percussione Syria devastaretur a rege, ergo datur voluntas in Deo de aliquo effectu sub conditione futuro, si quidem determinatio illius veritatis futuræ, etiam sub statu conditionato a sola voluntate Dei dependet, determinatio autem illa de facto jam datur, quia Deus illam veritatem, ut de facto certam et determinatam revelat, ergo et voluntas ex parte Dei de facto datur.

XV. Confirmatur amplius ex Scriptura, quia Deus de facto facit pactum aliquod, vel promissionem de aliquo quod solum sub conditione futurum est, et non absolute, ergo et voluntatem seu decretum habet de facto circa tale futurum. Consequentia est bona, quia pactum et promissio est expressiva voluntatis internæ pascientis, et promittentis, ergo ubi datur pactum, et promissio de facto, datur et voluntas de facto. Antecedens probatur, nam in primis Deus fecit pactum cum primo homine quod filii ejus nascerentur

cum gratia et justitia originali si ipse non peccasset, cum peccato autem originali si peccasset ut est concors theologorum sententia, et videri potest D. Thomas I part. quæst. c, art. 1, ubi docet filios Adam si non peccasset nascituros cum gratia et justitia originali, colligiturque hujusmodi pactum ex illo Eccles. XVII: *Deus creavit de terra hominem, et ad imaginem suam fecit illum*: et infra: *Testamentum æternum constituit cum illis* (scilicet Adam et Eva, de his enim loquitur) *et justitiam et judicia sua ostendit illis*: ubi constat intercessisse aliquod pactum inter Deum, et primos homines circa gratiam, vel peccatum transfundendum in posteros. Nec posset modo originale peccatum transfundi ex vi primæ prævaricationis ut fides docet, nisi oppositum peccati, scilicet justitia originalis transfunderetur, non peccante Adam. Ergo habuit Deus de facto decretum, et voluntatem dandi talem justitiam si durasset ille status, cum tamen de facto nec status duraverit, nec justitia transfusa sit in posteros, ergo circa objectum conditionatum datur in Deo voluntas de facto. Similiter cum Davide et Salomone fecit Deus pactum et promissionem de facto quod sederent filii ejus usque in sæculum super regnum suum, si custodirent mandata Domini, ut dicitur III Reg. IX: *Si ambulaveris coram me sicut ambulavit pater tuus in simplicitate cordis et æquitate, et feceris omnia quæ præcepi tibi, et legitima mea, et judicia mea servaveris, ponam regnum tuum super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo*. Et tamen constat quod filii ejus non regnaverunt super Israel, sed scissum est regnum in Roboam, et solum regnavit super Judam et Benjamin, neque hoc in sempiternum, sed usque ad Sedeciam, qui fuit ultimus re-

gum Juda; ergo habuit Deus illud pactum et promissum circa conditionatum futurum quod de facto non erat ponendum; ergo similiter voluntatem illam de facto habuit circa tale futurum. Et in hoc etiam fundatur id quod supra diximus de Christo, quod si rogaret Patrem, daret ei plusquam duodecim legiones Angelorum, fundatur enim in pacto, seu promissione facta Christo, quia omnia dederat ei Pater in manus, ut quidquid efficaciter vellet, et peteret, fieret, in quo pacto et voluntate multa sine dubio includuntur conditionata, quæ fieri Deus decrevit si Christus voluisset, et de facto non sunt effecta, quia noluit. Quare ex promissionibus, et pactis Dei sub conditione ex parte objectorum, sed de facto et absolute factis, efficax ducitur argumentum probans hæc decreta ex parte Dei absoluta, et ex parte objecti conditionata dari in Deo, nec illi repugnare.

XVI. Et huic rationi concordat Augustini doctrina, qui perpetuo docet ea quæ Deus promittit, in sua prædestinatione seu decreto promittere et cognoscere, non in his quæ facit homo, licet ea quæ promittit sint facienda per hominem. Eadem autem ratio est quoad hoc de promissione quam Deus facit respectu eorum quæ absolute futura sunt, et respectu eorum quæ sub conditione, si enim Deus de facto promittit, licet res promissa sub conditione promittatur, promissio illa actus Dei est et decretum, dicit autem Augustinus libro de prædestinatione sanctorum, cap. x: « Quando promisit Deus Abraham in semine ejus fidem gentium dicens: Patrem multarum gentium te constitui, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines, quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum

Deum, ipse facit, ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit : alioquin ut Dei promissa compleantur non in Dei, sed in hominum est potestate, et quod a Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Non autem sic creditur Abraham, sed creditur dans gloriam Deo quoniam quæ promisit potens est et facere : non ait : Prædicere, non ait : Præscire, sed ait : Potens est et facere, ac per hoc facta non aliena, sed sua. » Ita Augustinus et similia habet libro de correptione et gratia, c. xi. In hac autem promissione facta, Abrahæ, quod esset pater gentium per fidem, seu omnium credentium ut dicitur Roman. iv, et Galat. iii, involvitur sine dubio etiam conditionatum objectum, quia non solum Abraham est pater omnium qui de facto credunt, sed etiam esset pater omnium qui crederent si eis prædicaretur fides, de facto autem non credunt, illi enim si crederent etiam patrem haberent Abraham ex vi promissionis divinæ; nam ut argumentatur Apostolus ad Galat. iii : *Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus, non dicit, et seminibus quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo qui est Christus.* Ergo ad omnes illos extendebatur promissio facta Abrahæ, ad quos extenditur semen ejus qui est Christus : Christus autem non solum est redemptor respectu eorum qui de facto credunt, sed etiam eorum qui crederent si eis prædicaretur; ergo promissio facta Abrahæ ad illos etiam extenderetur. Et totam hanc promissionem dicit Augustinus fundari in voluntate et prædestinatione seu decreto Dei (prædestinatio autem actum firmum, et absolutum nominat) ergo aliquod decretum admittit de facto; et absolutum dari in Deo, quod ex parte objecti fit conditionatum, scilicet quatenus voluit ut Abraham

etiam esset pater eorum qui crederent si eis prædicaretur, licet de facto non crediderint.

XVII. Denique, ipse Augustinus tractans illam quæstionem, cur tali tempore Christus voluerit venire, et agens contra Semipelagianos, qui dicebant tunc voluisse Christum venire quando sciebat quinam essent in eum credituri, et exorturas esse bonas voluntates illo potius tempore quam alio, idque probant ex eodem Augustino in libro de sex quæstionibus paganorum, id est, epistola XLVI, ubi quæstione ii dixerat tunc voluisse apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat esse qui in eum fuerant credituri. Ad hoc respondet Augustinus libro de prædestinatione sanctorum, cap. ix, reddens rationem ejus dicti a se positi, illudque referens, et sic concludit : « Cernitisne me sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse quod convincendæ paganorum infidelitati qui hanc objecerant quæstionem sufficere videretur? Quid enim est verius quam præscisse Christum, qui et quando, et quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato sibi Christo a se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præscierit an etiam prædestinaverit Deus, quærere, ac disserere, tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicare doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri, posset etiam sic dici tunc voluisse Christum hominibus apparere, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. » Sic Augustinus. Ubi

vides quod cum Massilienses affirmarent prædestinationem seu decretum Dei inniti præscientiæ divinæ, ita ut quando ab eis quærebatur, cur nunc prædicatur aliquibus gentibus, quibus ante non prædicabatur, et cur tali tempore venerit Christus, vel ejus doctrina prædicata sit, et non alio tempore, vel alio loco, dicebant id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore et ibi et illis veritas annuntietur quando et ubi prædicabatur esse credenda, ut expresse dicit Hilarius in epistola ad Augustinum, et id probabant ex ipsomet Augustini citato loco ex libro de sex quæstionibus paganorum, ut ibi dicitur. Ergo sentiebant Massilienses Deum habere scientiam hanc quod tali tempore, vel loco tales personæ crederent si eis prædicetur, et post modum decrevisse Deum, ut illis prædicaretur de facto, ubi præsciebat fore credituros, ergo ante illud decretum scientia illa quæ præcedebat, solum erat de futuro conditionato, scilicet quod illi crederent si eis prædicaretur, reddebatur autem absolutum quando decernebat Deus quod de facto eis prædicaretur, atque adeo quod de facto crederent; erat ergo illa scientia antecedens tale decretum, scientia de objecto conditionato ante omne decretum, erat ergo scientia media, qualis nunc ponitur a Molina, et sequacibus (licet non cum eo abusu et errore, quem admittebant Semipelagianus de gratia danda ex meritis, et initio nostræ voluntatis) nec enim ista habet amplius quam illa. Proposita ergo fuit Augustino scientia media quam Semipelagianus ponebant (eam enim Semipelagianus habuisse etiam fatetur Suarez ut articulo præcedenti ostendi) et quam volebant probare ex ipsomet Augustino in libro de sex quæstionibus paganorum. Sed Augustinus discutiens hunc locum, et hoc assertum Semipelagianorum

dicit, quod illud quod dicebant Semipelagianus, et ex ipso probabant, non est intelligendum quod id solum præscierit, sed etiam prædestinaverit (id est, decreverit) et quod posset sic dici, præscisse Christum quando et ubi fuerant in eum credituri, id est, præscisse qui fuerant electi in ipso, quod utique per decretum Dei est, ergo sentit Augustinus illam scientiam mediam quam ponebant Semipelagianus, sine decreto non esse ponendam, sed sic habuisse de hoc præscientiam quod etiam habuerit prædestinationem, seu decretum, si quidem illos quos dicebant Semipelagianus præscisse credituros ante decretum (quod est per scientiam mediam) Augustinus dicit non præscisse ante decretum seu prædestinationem; illi autem apud Semipelagianos erant prævisi a Deo sub conditione si eis prædicaretur, ergo pro his ponit Augustinus præscientiam non sine decreto. Sed de his aliisque locis Augustini sequenti articulo latius dicemus.

XVIII. Fundamentum pro assertionem nostram facile sumitur ex dictis, quia voluntas et decretum hujusmodi absolutum, seu de facto positum in Deo, et conditionatum ex parte objecti nullam imperfectionem aut superfluitatem dicit, sed potius magnam Dei perfectionem, ergo illi non repugnat. Antecedens probatur, quia non repugnat Deo voluntas de facto habita circa aliquod volitum, et conditionata seu inefficax ex parte alicujus effectus, nec posset aliter divina providentia salvari, nisi ordinaret et vellet causas aliquas secundum se, et secundum aliquam conditionem esse ordinatas ad aliquem effectum, qui tamen effectus de facto non erit, esset tamen si causæ illæ relinquerentur operari, quod salvari non potest sine hoc quod Deus velit de facto aliqua volita sub conditione, si quidem vult tales cau-

sās ordinari ad talem effectum qui esset si illæ causæ sic ordinate operarentur, et tamen ex alio ordine rerum impediuntur. Quod manifeste constat ex doctrina et exemplis, quæ affert D. Thomas; nam in quæstione II de veritate, art. XII ad IX, dicit: « Quod non est inconveniens quod ponatur quod Deus scit aliquid futurum esse quod non erit, in quantum scilicet scit aliquas causas esse ad aliquem effectum inclinatas, qui non producet. » Sed causas sic esse inclinatas et ordinatas ad illum effectum Deus voluit et decrevit, ipse enim est qui imponit rebus talem ordinem, ergo Deus habet de facto voluntatem circa aliquid quod solum conditionate est futurum, et de facto non erit, scilicet circa id quod continetur in talium causarum inclinatione, a quibus de facto non producet. Et quæstione XII de veritate, art. X ad VIII, expressius hoc ipsum tradit dicens: « Quod si prophetia comminationis referatur ad ordinem causarum, quem directe respicit, sic est absque omni conditione; absolute enim est ita ordinatum, esse in causis ut hoc contingat (ecce absoluta ordinatio, et consequenter decretum ex parte ordinantis qui est Deus) si autem referatur ad eventum quem respicit indirecte, sic intelligenda est sub conditione causæ (ecce conditionatum objectum ex parte eventus futuri) et tamen supernaturalis est, quia naturali cognitione non potest sciri etiam causa existente, utpote iniquitate remanente, quod talis pœna, vel talis determinate secundum divinam justitiam debeatur. » Ubi manifestissime S. Thomas ponit absolutum decretum seu ordinationem ex parte Dei, tam circa pœnam quæ debetur tali iniquitati, quam circa ordinem ipsarum causarum quem de facto ponit, cum objecto conditionato ex parte effectus eventuri,

quem solum sub conditione vult esse, ergo datur in Deo absoluta voluntas ex parte Dei, id est, de facto in eo habita respectu objecti conditionati.

XIX. Denique, ut expressius videatur hoc in D. Thoma expendo locum in I, dist. XLVI, q. I, art. I in corpore et ad II. Nam in corpore ponit dari in Deo voluntatem antecedentem cujus effectus est ordo ipse causarum in aliquem finem, non eventus ipse qui de facto erit, hoc enim pertinet ad voluntatem consequentem. Et subdit doctor sanctus ad II: « Quod voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem. » Ita D. Thomas ibi, qui etiam videri potest in hac prima parte, q. XIX, art. VII ad II, ubi sic inquit: « Multa sunt in virtute, et scientia et voluntate divina, quæ non continentur sub ordine causarum inferiorum, sicut resuscitatio Lazari. Unde aliquis respiciens ad causas inferiores dicere poterat: Lazarus non resurget, respiciens vero ad causam primam divinam poterat dicere: Lazarus resurget. Et utrumque horum Deus vult, scilicet quod aliquid quandoque sit futurum secundum causam inferiorem, quod tamen futurum non sit secundum causam superiorem, vel e converso. Sic ergo dicendum, quod Deus aliquando pronuntiat aliquid futurum secundum quod continetur in ordine causarum inferiorum, ut puta secundum dispositionem naturæ vel meritorum, quod tamen non fit, quia aliter est in causa superiori divina. » Constat ergo ex sensu et sententia D. Thomæ, Deum absolute voluntate sua, id est, voluntate de facto existente in Deo, velle multa esse futura sub aliquo ordine, seu

conditione, quæ absolute non sunt futura, nec evenient in re, quia hoc petit ipse ordo divinæ providentiæ rebus ipsis impositus. Unde neque est superfluum, nec imperfectum tale decretum seu voluntatem habere, sed maxime decet divinam eminentiam, tum quia per hoc maxime ostendetur omnium Dominus secundum omnem universalitatem, quia disponit de rebus sub omni statu sub quo ordinantur ad esse, et sub contingentia considerantur, sive sit in statu conditionato, sive absoluto; tum quia futura aliqua esse ponenda sub hac conditione et statu et non sub alio, dependet ex aliquo ordine causarum quæ sic sunt dispositæ, ut sub hoc statu et conditione hunc effectum habeant, non autem tali conditione et statu sublato, vel id dependet immediate ex ipso Deo sic disponente et statuente quod res fiat si talis conditio ponatur, non sine illa. Si immediata a Deo dependet seu ab ejus dispositione, cum posset oppositum disponere si vellet, utique a decreto Dei sic disponente dependebit. Si ab ordine causarum inferiorum, talis ordo in eis est ex divina ordinatione id volente, posset enim talem ordinem eis non præbere, sed ad oppositum, cum id contingens sit, ergo datur decretum Dei absolute, et de facto circa aliqua conditionata futura tamquam circa objectum.

XX. Unde obiter colligitur, quod latius sequenti articulo expendetur, quod nullum est futurum conditionatum contingens, quod non aliquid absoluti in se habeat, vel supponat, ratione cujus decretum absolutum etiam in Deo postulat: nam omne tale conditionatum futurum supponit causas inferiores de se esse ordinatas ad futurum quantum est de se, et hunc ordinem de facto habent, vel si sit futurum non dependens a causis inferioribus, sed immediate

a Deo, saltem habet de facto, et determinate hanc veritatem, quod posita illa conditione accideret, cum stante illa conditione posset oppositum stare, et poni si Deus voluisset, quæ est denominatio extrinseca a voluntate seu determinatione divina proveniens. Unde quod magis determinetur ad talem veritatem, de facto ei convenit et verificatur in illo, alias propositio illa de facto et determinate non esset vera, neque scientia. Si ergo hanc determinationem de facto habet, etiam sic determinatum decretum postulare et determinare potest.

CERTA DEI COGNITIO HORUM FUTURORUM FORMALITER.

XXI. Ex his deducitur secundum punctum supra positum, scilicet quod Deus habeat certam cognitionem horum futurorum conditionalium, et quod hæc cognitio non virtualiter, sed formaliter sit in Deo. Hæc secunda pars est contra mag. Navarrete, quem citavimus articulo præcedenti, qui dixit Deum habere horum futurorum cognitionem virtualiter seu eminenter non formaliter, quia existimavit in formali cognitione illorum aliquam involvi imperfectionem, quia putavit iudicium dependens in sui determinatione ab aliqua conditione extrinseca ponenda, importare de se imperfectionem et sic Deo non posse tribui formaliter, sed virtualiter, eo modo quo cognitio discursiva, aut imperfecta non potest nisi virtualiter attribui Deo. Ita habet tomus I controvers. LVI, §. II. Rationem ejus postea solvemus. Prima vero pars ponitur contra illos, qui licet ex parte Dei cognoscentis nunquam Deo tribuerunt cognitionem conjecturalem horum conditionalium, id enim esset penitus absurdum, tamen ex